13

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE FLAVA.

AUCTORE JACOBO RUTHERFORD.

PRAEFANDA.

Etiamsi pessima ista *Febris Flava* Britanniae fines nondum invaserit, nec invasura videtur, vix ullum tamen valetudinis adversae genus Britannicos medicos perscrutari, et cognoscere majoris interest ; plurimi enim nostratum, qui patriis sedibus relictis ad Indiam alterutram se recipiunt, hac dira febre pereunt. Tam late enim patet imperium Britannicum apud istas terras pes-



Edinburgh 1814

tiferas, ut quam plurimi quotannis eo migrent, alii ad rem familiarem augendam, alii ad patriae hostes debellandos.

Non spes nova luce morbum propositum collustrandi me impulit, ut tam grave argumentum aggrediar; sed legi ut aliquid ad artem Machaoniam pertinens conscribam obsecutus, *Febrem Flavam* argumento selegi; quippe qua complures implicitos curavi, maximeque quosdam mihi amicissimos et juventa florentes, quos enecuit.

Quum cutis hac febre laborantibus, non nisi malis inveteratis, et interdum non omnino flavet, multi nolunt eam *flavam* nominare; notissimum autem est hoc nomen; nec falsa imagine animum decipit. Quamobrem alienum et inutile videtur novum exquirere. Omnes equidem voces, quibus medici hanc febrem designarunt, vel a quodam ejus indicio, vel ex opinione aliqua ad ejus ortum aut naturam pertinente, vel denique ab urbe aut regione, unde nata esse haberetur, deductae sunt.

QUAEDAM DE ORTU FEBRIS FLAVAE.

Auctores Gallici, opinionem Pouppii Desportesii amplexi, qui annos abhinc septuaginta floruit, et ea quae huc attinentia edidit, e scriptis Le Botu, monachi duobus fere hinc seculis emortui excerpsisse videtur, febrem flavam ad insulam *Martinicam* a Siama Indiae Orientalis traductam esse scribunt. Warrenus quoque, qui primus fere medicorum Anglicorum de morbis Barbadae propriis conscripsit, morbum propositum Asia oriundum demonstrare conatur; annoque MDCCXXI eundem a Martinica ad Barbadam transiisse meminit. Olim sane medici crediderunt hanc febrem contagio diffusam, quasi pestilentiam, ita ad terram Americae continentem, et inde ad Europam meridionalem ab India Occidentali migrasse. At vero, etiamsi verum sit febrem flavam prius Asiaticos implicuisse, quam Columbus partem orbis occidentalem patefecerit, imo vero eam antiquis haud ignotam fuisse,

(quam ea voce "Causus" veteres, uti Moseleius aliique opinantur, designarunt), convenit tamen inter medicos, minime terras occidentales eam ab orientalibus accepisse; sed Europaeos, ex quo insulas occidentales accolere coeperint, hac febre ratione loci et coeli accensa correptos fuisse. Illud certe usu didicimus, febrem flavam nusquam erupisse, nisi coelum eo exarserit, ut aliquamdiu aestus gradu octogesimo instrumenti Farenheitani indicetur; quo fit, ut non nisi aestate et jove ardentissimo regiones extra solstitiorum circulos positas populetur. Cur vero Indiae Occidentalis insulae magis huic morbo pateant, quam aliae terrae, quae circulo aequinoctiali pari intervallo distent *, nondum satis compertum fuit.

---

* Edinburgh Medical and Surgical Journal, NO. xxxii. "A letter from W. H. Parson, surgeon of the colonial hospital Gaudaloupe, to Dr Thomas Cochrane.

"When I first arrived in this country, vanity induced me to suppose, that, because I had previously been some time in a tropical climate, (the Brazils), I was duly prepared to treat West India diseases. Subsequent experience has completely exposed to me my own presumption, and that I then possessed nothing more than common-place school opinions concerning them, which practical observations have proved to be ill founded and fallacious.

DE SIGNIS.

Cui instat febris flava, is capitis gravitate, membris resolutis, cibique fastidio affligitur: quae mala tamen interdum levissima fere latent, donec magis terrentia accedant. Paucis enim horis, certeve uno die aut biduo, aeger inhorrescit, at vix membra obrigent; anima deficit, et vertigo supervenit, aliquando tanta ut homo subito concidat. Protinus, haec excipit febris ardentissima, cutis aret et calet, et medici manui contrectanti quendam proprium ardorem praebet. Frons et pectus sudore exiguo et mox abituro hument; miser difficillime anhelat, et suspirat crebro. Arteriae concitantur, modo languide tamen motae, at frequentius valide et plene: arteriae *caroticae* et *temporales* micant vehementer; vultus fere rubet; lingua inalbescit et saepe madet; sitis ingravescit; oculi hebetes praeter naturam turgent et rubescunt; et luci objecti dolent et calere aegro videntur.

Urgent stupor, capitisque dolor et gravitas: dolore quoque plectuntur dorsum, lumbi, et etiam femora et crura. Alvus pigra parum excernit; urina redditur exigua et rufa; nonnunquam at rarius testes afficiuntur, qualiter verbis describere vix possum: aeger nempe eos leviter dolere, at simul hunc sensum quodammodo gratum enunciat. Mihi amicissimus WALLACE, medicus navi bellicae "Ulysses" praefectus, quem febris flava apud Trinidadam occidit, de hoc signo saepe conquestus est*. Alii ejus socii in eadem nave hac febre correpti, idem signum subierunt; quod verbis exequi ne unus quidem poterat. Aegri crebro evomunt; initio cibos, postea humorem biliosum, qui linguam rutilat. Irrequieti parum dormiunt, at membra cubantes inaequaliter dispergunt, et humo quam lectulo, si liceret, incumbere mallent. Huc accedit, quod summa anxietas, dolor et sensus ardoris circa praecordia continenter adsunt, et hanc febrem potissimum denunciant.

---

* Anno MDCCCIII.

Haec mala, vel plura ex iis (vix enim omnia cuivis aegro contingunt) sine lege certa brevius aut diutius trahunt; modo horas XII, alias integrum diem, biduum, vel LX horas. Hucusque notae incitationem generis nervosi, cordis et arteriarum insigniunt. Postea autem quaedam ex iis abeunt, et caeterae mitescunt aliquamdiu; eo ut febricitans ipsi et ministris familiaribus salutem recepturus videretur. Insidiatur vero febris ita tranquillata. Somni enim perturbantur: vultus non serenus uti convalescenti nitet; vox editur languida, et quasi faucibus haeret. Oculi flavere incipiunt; idem color cervices et pectus male habet; non aequaliter ubique, sed lineas aut vibices repraesentans. Cutis, nunc minus quam fert natura, calet, quae antea graviter exarserat. Vomitus renascitur, longeque acerbior: summa cutis sudore gelido et quasi glutinoso humet: urina, uti prius, parca, nunc lutilescere coepit; et lintea infusa eodem colore inficit. Lingua sorde fusca squalet, modo humida, alias sicca. Oculi hebetantur, languent et expallescunt. Mens confusa falsis

imaginibus luditur; delirat nempe aegrotans. Quamdiu vero superest sensus integer, non desperare videtur.

Haec secunda febris flavae pars incertum tempus perseverare solet; interdum sex aut octo horas, alias triginta sex aut quadraginta octo. Nunc arteriae concidunt, et citissime imparibusque intervallis micant; subinde profecto, usque ad spiritum extremum omnino aequaliter moventur. Vomitus increscit; et nil ventriculus retinendi est potens; at statim molimine gravi et sonitu editis rejicitur. Praeter alimenta, evomitur natura atra, faecibus coffaeae persimilis. Spiritus trahitur et emittitur difficulter, et demum non nisi summo labore et nisu; diffluit summa cutis sudore frigido et viscido; lingua nigricat; oculi sidunt; tempora et os, et fere aliquanto postea, corpus universum aurescunt. Alvus, quae hucusque tardissima, nullis pene medicamentis ingestis, descenderat, nunc fere assidue fluere coepit, nigro foetidoque dejecto. Tendines digito imposito subsilire sentiuntur; singultit infelix; convelluntur au

rigent artus. Urina fluit atra, at interdum nulla. Frigent extrema; nulli parti corporis nisi praecordiis mediis superest calor. Vultus lethali pallore obducitur. Delirium eo saevit ut infelix pene e lecto exsiliat, certeve exsilire nitatur. Vox faucibus haeret; lingua tremit: sanguis persaepe ex ore, naso, auribus et oculorum angulis stillat. Quod evomitur, multo fit nigrius; dejectiones similes exercent. Cutis maculis coeruleis efflorescit; singultus, delirium et stupor adaugescunt; miser secum mussitat; et mors tantis aerumnis finem imponit.

Hic morbus morte aut salute finiri solet, tertio, quarto, quinto, sextove die ab ipso ejus initio: subinde octo vel novem dies, aut diutius permansit: nonnunquam in febrem remittentem pertinacissimam abiit; et perpauca exempla, variora sane, ab auctoribus memorantur, hujus febris intra horas viginti in mortem desinentis. Hoc duobus nautis contingere cognovi; qui pridie ejus diei, quo febricitare coeperint, duris laboribus sub dio, sole torrido, insudaverant, et dein se, febre jam urgente, potu meraco refecerant.

In omnibus nempe hujusmodi exemplis, febris incitatissima ex improviso vires obruit, priusquam natura obniti potuerit.

DE PROGNOSI.

Freti quibusdam medicis fide dignissimis vix dubitare possumus, quin febris flava interdum speciem tam mitem sibi praetulerit, ut eventus infelix non sit metuendus. Unus * auctor nos certiores facit se, aqua frigida aegris affusa, centum et octodecim e centum et viginti febricitantibus sanasse. Alius † retulit se, misso sanguine, aqua frigida affusa, et *tartrate antimonii et potassae* ingesto, omnes hac febre tortos, quos curavit, octoginta et tres, salvos praestitisse. Vir porro summae fidei mihimet dixit,

* Vide Currie's Med. Rep. p. 516 to 528.

† Vide Med. Naut. v. i, p. 361, and Med. Rep. 498-9.

se febrientes hoc malo quinquaginta ad salutem reduxisse, liquoribus emollientibus per alvum infusis, et foto abdomine, unicis auxiliis. His aegris febris flava quam mitissima incubuerit, necesse est; talis enim curatio nequaquam praepotens est per se. Nonnulli * sane parum crediderunt febrem, quae istiusmodi remediis cesserit, flavam esse; timor enim facile tali errori mentem ludit. Qui ad Indiam Occidentalem se recipiant, hanc febrem, de qua tanta legerunt et audiverunt, suis oculis obventuram expectant. Si non diu ibi commorantur, facile eam cum aliis morbis confundunt; scilicet, qui subito, coelo frigido relicto, ad terras aestuosas confugiunt, inflammationibus partium interiorum opportuni sunt. Haec facile pro febre flava habentur; et medicus sibi maxime gratulatur, quod tam cito eam fugaverit; quam eum nunquam vidisse verisimile est. Auctores contra, qui febrem flavam luctuosissimam et vitae perniciosissimam praedicaverint, tot sunt, et tam praeclari, ut vel

---

* Vide Edin. Med. and Surg. Jour. vol. vii, p. 20.

eos enumerare vix opus sit. Ubicunque vulgaris grassata est, fertur longe saepius, quod ex tabulis equidem conscriptis apparet, quintam circiter partem eorum, quos corripuit, occidisse. Quo leviores subessent notae, eo potius salutem futuram praesagire licebit: febre jam ineunte, necdum cute flavente, remedia valida tempestive admota summam opem pollicentur. Perpauci profecto, febre inveterata, viribus fractis, et omnibus ad fatum, uti videtur, spectantibus, convaluerunt. In praecipiti est, cui inter principia stupor et gravitas membrorum contingunt; ventriculus porro irritabilior, et alvus pigra pessima sunt indicia, maxime omnium medicinae auxilium fallunt et vincunt. Si cervix et pectus maturius aurescunt, medici nonnulli id felici notae existimare solent; at longe melius est ea signa omnino deesse. Sudor tepidus per omnes artus aequaliter diffusus spem salutis venturae rite incutit, et eliciendus est. Illud vero difficillimum est; nimirum, istam quietem insidiosam, de qua retuli, lethalium signorum praenuncium, a sanitatis ipsius futurae indiciis probe discernere. Si

nulla exinanitio, qualis ope de eventu felici venturo licet judicare, qualemque medici *criticam* vocant, adhuc accesserit, si vultus speciem parum naturalem sibi induit, si arteriae crebro et inaequaliter saliunt, alvus nil nisi atrum et male olens reddit, maximeque si febricitans orationem edit confusam, minus accuratam, aut aequo citiorem, is vix servari poterit. Obsurdescere, quum secernenda reddita docet, bono signo recte habetur.

DE IIS, QUAE, SECTO CADAVERE, PATESCUNT.

Si, quos haec febris absumpsit, iis notae cerebri affecti potissimum contigerant, defunctorum corporibus incisis, vasa *durae piaeque matri* inspersa praeter naturam rubere et tumere reperiuntur; his interdum ruptis, sanguis aut latex membranis interjectus apparuit. Saepe vero cava cere-

bri humore plus aequo scatent. Cerebrum incisum durius quam ex consuetudine compertum est: et ejus medulla complura puncta rubra exhibet, unde stillat sanguis; scilicet, ora vasorum sectorum hiantia: nonnunquam, membranae tam arcto nexu inter se et cum cerebro committuntur, ut aegerrime invicem aut cerebro subducantur. In plerisque tamen exemplis, turbati ventriculi notae praecipuam malorum partem conficiunt: et iisdem, cadavere patefacto, hoc viscus indicia sibi praefert inflammationis acutissimae praegressae. Vasa ejus humore atro, sordi evomitae consimili turgent; idem humor hic illic membranam ejus intimam obducit. Partes hujus membranae erosae et disjectae, ingestis mistae inveniuntur. Intestinum tenuius, praesertim ventriculi proximum, haud aliter se habet. Jecur interdum ampliatur, et capsula, cujus est fel continere, bile coacta et viscida oppletur. Pulmo et alia viscera integra esse consuerunt.

QUAEDAM DE VOMITU NIGRO, ET CUTE FLAVA.

Ex quo GALENUS floruit, medici fere omnes opinati sunt, sordem nigram sursum aut deorsum ejectam bilem esse viscidam, sive atram. Ea vero, quae supra memini, et ipsa sordes periculis subjecta, ipsam opinionem eos fefellisse monstrant. Non amara est materia, quam prosequor. Quodcunque ea oblinitur, id nigrescit; fel aut alienis colorem largitur inter viridem et flavum medium. Quinetiam haec sordes faciei ventriculi interiori haeret, ejusque vasis inest; quod non fieri posset, si bilis esset. PHYSICK, medicus insignis Americanus, hanc proponit ex arteriis ventriculi et intestini inflammatis secerni. Plures tamen ex hodiernis eandem sentiunt esse sanguinem ipsum corruptum : quae sententia eo similior esse veri apparet, quod febribus malis ad fatum jam properantibus, sanguis e

vasis laxis, ubique fere corporis, profunditur. Exempla sint maculae coeruleae cuti subjectae, urina cruenta, &c.

Alii aliter de cutis flavae ratione senserunt. Quidam * hanc ad serum sanguinis particulis rubris dissolutis inquinatum, et e vasis exterioribus diruptis effusum, retulerunt: alii ad ipsas particulas rubras in vasa earum, integro corpore, non capacia receptas, et inde, ruentibus vasis in telam cellarem profusas †: haud secus atque *ecchymosis*, nondum penitus resorpto cruore, ut cutis aurescat, efficit. Convenit inter plerosque sanguinem bile absorpta imbutum, notam, de qua agitur, progignere. Quibus assentitur Bancroftius; nisi quod existimat bilem in ejus fistulas minutas refluere, et inde ad *venas hepaticas*, aliaque omnia vasa sanguinea deferri; non vero a vasis resorbendo dicatis accipi. Quod plane incertum et dubium est.

---

* Maclean, p. 32. † Blane, p. 411.

DE CAUSIS QUAE PROCLIVITATEM PARIUNT.

Quoniam paucissimi ex iis, qui in India Occidentali nati sunt, ibique vitam integram agunt, febre flava aegrotant; ipsique Europaei, postquam aliquot annos istas insulas accoluerint, et demum coeli torridi sueti sint facti, rarius in eam incidunt, statuere licet, corpora humana coeli et loci ratione plurimum mutari. Res est notissima, frigus, dummodo non acerbissimum et intentissimum sit, roborare et implere; aestum contra resolvere et extenuare: Europae septentrionalis incolas vegetos et sanguine plenos esse; terrarum vero soli torrido subjectarum, graciles et minus firmos. Necesse est ut validus et plenus, subito ad ardores Indiae Occidentalis insolitos advectus, vehementer inde commoveatur; et usu didicimus adolescentes, qui annum xvi^mum^ expleverint, necdum xxxvi^tum^

transgressi sint, opportunissimos esse; mares saepius quam mulieres, et adultos prae infantibus aut senibus, in hanc febrem incidere.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

De nulla re magis quam de febris flavae causa excitante medici, viginti jam fere annos, disputarunt, et inter se discrepuerunt. Hanc febrem alii pestilentem, id est contagio sui proprio disseminari, affirmarunt; alii his adversati contendunt, auras putres et perniciosas, solo aut plantis corruptis, stagnisve oriundas, et sole ardentiore late diffusas et exitiosiores factas, febrem flavam inferre. Longe exsuperaret angustos limites, quibus contineor, vel leviter ea, quae utrique opinioni faveant, proferre. Non nisi eos auctores praeclaros, qui ex utraque parte conscripserunt, memorabo.

BLANIUS, CHISHOLMIUS, CLARKIUS et WRIGHTIUS principes extant inter eos, quibus pestilens esse videtur haec febris. RUSHIUS equidem, qui initio idem senserat, denuo altero opinioni strenue favet. Cui assentiuntur MOSELEIUS, JACKSONUS, MACLEANUS, viri summi nominis. Quibus accedit auctor novissimus, BANCROFTIUS. Hic medicus librum nuper edidit, in quo amplissime et insigni solertia de hac gravi quaestione disputavit; et tot tamque lucidis documentis febrem flavam non pestilentem esse ostendere nixus est, ut, nostro saltem judicio, scripta ejus perlegere, et dein aliud sentire, perdifficile esset. Hodierni igitur, hunc secuti, febrem propositam auris nocivis, auxiliantibus aestu et aliis causis, tribuunt.

Europaei, incolaeve alicujus terrae modica temperie donatae, simul atque ad Insulas Occidentales pervenerint, aurisque jam relatis patuerint, protinus in hanc febrem incidunt, si quo labore gravi aliave noxa incitatrice se calefecerint. Quinetiam sub dio roribus vespertinis et nocturnis se committere, aliamve causam subire,

quae sudorem aut quamvis exinanitionem repri-meret, nocentissimum erit, et saepe febrem flavam accendit. Praepollet vero noxis omnibus excitatricibus ebrietas, aut quaevis alia intemperantia; et quae potissimum nautas et milites hac peste implicat. Optimeque monuit BANCROFTIUS, auris pestiferis corpore minime objecto, hanc noxam per se febrem excitandi flavae ipsi simillimam, et vix minorem illaturam perniciem, esse potentem.

DE CURATIONE.

ALIENUM esset, nec proposito convenit, hic varias et inter se diversas curandi rationes describere, quas medici, prout cuique sua responderit, observari praeceperint, In animo est de singulis auxiliis, quas usu prodesse didicerimus, quam brevissime potero, disputare.

Sanguinis detractio.—Quum juventa viribusque florentes, et sanguine pleni, coelo miti ar-

dentiore mutato, prae aliis febre flava aegrotare comperti sint; quum vero eidem jam ineunti arteriae graviter concitantur, notaeque cerebri aut ventriculi inflammati urgent, quas inde provenisse, cadavere demum inciso patescit, sanguinem mittere aegrum esse servare, quivis non vanis rationibus irretitus facile judicaret. Nec vero defuerunt, quibus hoc remedium perniciem laturam videtur: imo perpauci ex hodiernis idem sentiunt. Duplici e causa haec opinio medicos fefellit: nimirum, sibi persuaserunt morbos omnes, quibus Indiarum incolae aegrotare solent, aliquid prae se imbecillitatis ferre; ideoque minus venas vacuefieri pati aut requirere; et dein febrem flavam pestilentem, malignam, typhoque cognatam habuerunt. Quod ad illam causam, scire licet, etiamsi aborigines, iive, qui diutius in India Occidentali sint commorati, genus hominum infirmius, venas feriri vix sustinent, Britannos tamen, nuper huc advectos, ardoris insuctos, et fere plenos validosque, hoc auxilium postulare et perpeti posse. Quod ad hanc attinet, imprimis, vix aliquis ex hodiernis hanc febrem

pestilentem judicat; deinde, si pestilens esset, sanguinem non mittendum non sequitur. SYDENHAMUS* enim aegris Londinii ipsa peste correptis venas amplissime deplevit; idque optimus excepit eventus. RUSHIUS, febre flava Philadelphiae anno MDCCXCIII saeviente, quamque ipse pestilentem habuit, venas icere haud dubitavit, pluresque salvos, hoc facto, praestitit †. Nuper vero BURNETTUS, medicus apud Valetudinarium Fortoniense, venas largius exinanivit, febre admodum pestilente et maligna grassante, aegrotantibus, quorum longe plurimos sanavit; apud milites, quibus praefuit imperator insignis JOANNES MOORE, Eques, Corunna domum anno MDCCCIX reversos, erupit haec febres exitiosa ‡. Felix est equidem hisce documentis non opus esse, et nullum fere medicorum demum latere, mittere sanguinem inter principia febrientem esse fato eripere. Illud tamen non oblivisci oportet, mature facto opus esse; tempusque, quo venae rite incidantur, citò praeterire. Interdum

* Vide Sydenham. De Peste.

† Vide Rush on the Fever of Philadelphia, passim.

‡ Edin. Med. and Sur. Journal, vol. vi, p. 18-32.

paucis horis ex febre accedente exactis, sanguinem elicere non licet; et fere nunquam ubi jam horas viginti quatuor aut triginta sex permanserit. Praestat una vice plurimum, quam pauxillum bis terve detrahere sanguinis: metuendum enim ne arteriae et vires prius conciderint, quam venam iterum secandam statuerimus. Quibusdam equidem aegris anima facile deficit, perexigua copia sanguinis initio missa: quod tamen medicum deterrere non debet, quin iterum quamprimum venas exinaniat. Fieri sane potest ut eas deplere non omnino liceat; de qua re, quoniam prudens medicus facile judicabit, praecepta proponere alienum duco. Semper aut cito sanguis mittendus, aut omnino nullus. Cui venam brachii icere minus tutum esse videatur, huic arteriae temporum, si caput graviter laborat, impune et utiliter feriuntur. Sanguine tandem detracto, aut tempore huic exinanitioni idoneo jam elapso, ad alia auxilia protinus confugiendum.

Alvi purgatio.—Alvum purgare medicamentis datis, aut ducere auxilio est praesenti et fere tu-

tissimo. Ventriculus autem irritabilior haec persaepe prius respuit, quam ventrem solicitare potuerint: id quod medico non raro molestissimum est; eoque potius quod interdum alvus adeo torpet, ut non nisi acrioribus medicamentis largissime sumptis, solvatur. Satius esse solet medicamen concretum, id est in *pilulam* redactum, dari; quo minus ventriculus irritabilis offendatur. *Submurias hydrargyri* fere nunquam rite praetermittitur; cui bene adjicitur radix *convolvuli jalapae*, *gummi-resina convolvuli scammoniae*, *gutta gambogia*, fructus *cucumis colocynthidis*, aut aliud hujusmodi. Me vero judice, sales medii, quales sunt *sulphas magnesiae* aut *sodae*, *tartris potassae* et *sodae*, istis anteferendi; quippe qui magis refrigerant, tutiusque et melius alvum expurgant. Conjicio equidem ista acriora largius ingesta haud parum operae conferre ad alvi illum fluxum effraenum gignendum, qui hanc febrem circa finem fere comitatur. Saepenumero sales medios, aqua *lauri cinnamomi*, aut fonte sincero liquatos, dedi; et etiamsi semel, bis, terve aeger hoc medicamen evomue-

rit, demum vero idem retineri semper comperi. Alvus, bis terve quotidie aliquanto plenius exinaniri debet, si fieri possit. Quod si nulla medicamenta hoc molirentur, alvi ductio erit experienda, liquore tepido et stimulantiore in imum intestinum crebro infuso. Eodem spectabit ventrem aqua tepefacta, aut panno laneo hac madefacto, fovere.

Refrigerantia.—Medicis satis innotuit, antiquos quotidie fere se aqua frigida lavare esse solitos; non solum ad bonam valetudinem tuendam, sed quoque adversam, et praecipue febres arcendas. Postea vero lavatio frigida febrientium, quibusdam ineptis et falsis rationibus, diu cessit; et obsolevit apud omnes medicos rationales et doctos. Memoria simul dignum est, mul tas gentes barbaras et incultas hodie hac uti; et quod ad propositum magis pertinet, Afros ad His paniolam traductos, diu se febrientes, lavationi frigidae commisisse, quam proculdubio a majoribus acceperant. Auctor Gallicus *, qui hoc nos

* Mémoire sur les maladies les plus communes à Saint Dominique; leur remedes, &c. par M. Bourgeois. Citatur a Bancroftio.

edocuit, se candidos et Europaeos febrientes, et eandem insulam accolentes, pari ratione lotos, convalescere, esse testatum refert. JACKSONUS, in libro de aquae frigidae usu edito, se jactat omnium fere primum, quantum opis hoc remedium polliceatur, ostendisse; qua laude WRIGHTIUM orbare conatur. De hac re disputare ineptissimum foret; CURREIO enim immortali sine dubio palma debetur. Legibus* illis optimis servatis, quas hic perillustris medicus protulit, aut aqua frigida summae cuti affundenda, aut cutis spongia hac madida detergenda, prout medico visum fuerit. Juvabit caput prius ad cutem tondere, quam aqua frigida lavetur. Si aqua frigida affusa, dein caput et aliae partes superiores incalescant, artus vero frigeant, illas unicas spongia madefacta imposita refrigerare oportebit, et extremas partes frigentes tepefacere; quo sanguis et calor aequaliter ad omnia membra deferantur. Potus egelidus praestabit.

Quae sudorem movent.—Permagni interest ut

* Vide Currie's Medical Reports, vol. i, chap. 4.

ventriculus quam minime irritetur; ea igitur quae vomitum moliuntur, summa cura evitanda. Quae vero sudare faciunt, eadem fere aliquanto largius data ventriculum vomitu solicitant; et vix non cient nauseam. Raro, ni fallor, postulantur; halitus enim cutis sua sponte renascetur, si sanguis satis missus, alvi purgatio et lavatio frigida vim febris jam antea fregerint. Nec volo sudoris moventia penitus aegrotanti denegare; sed paulo rarius iis opus esse propono. Vomitum excitare nunquam licet: ventriculum enim tranquillum et sedatum vehementer irritabit; irritatum et inflammatum eo torquebit, ut fatum maturum infelicem absumat.

Praeparata ex hydrargyro.—Quidam cursum salivae moverunt, cute unguento hydrargyri illata, et quoque praeparatis ex hoc metallo infestis. CHISHOLMIUS praecipue hoc remedium ministrari monet. Plerique e clarissimis viris, qui de febre flava scripserunt, rationem et usum pariter ei adversari affirmant. Vasa resorbendo dicata, febre jam urgente, torpent, et vix incitari possunt; et etiamsi cursus salivae febrem

abeuntem comitatur, quoties hoc metallum adhibetur, non inde judicare licet ipsum hydrargyrum sanasse; sed, febre sublata, genus absorbens minus torpere, ideoque hoc medicamentum solitas notas edere posse. Non plures ex iis febrientibus, qui hoc fuerint imbuti, salutem receperunt, quam ex iis, qui eodem vacarunt; nec opinari licet illos eo esse sanatos, quod hydrargyro essent infecti. Aliquando ducenta, imo quingenta grana *submuriatis hydrargyri*, et unciae complures *unguenti* ejusdem, salivam non moverunt. Quinetiam, uti nunquam prodest, ita nosse juvat hoc metallum semper obesse; quippe quod vires graviter labefacit, et aerumnas jamjam vix patibiles insigniter intendit.

Exulcerantia.—Febre jam inveterata, et viribus lapsis, si infelix vomitu aut stupore vexatur, utile erit caput aut praecordia *emplastro meloes vesicatorii* exulcerare.

Stimulantia.—Jam antea satis ostendimus, inter principia, valentissimis sedantibus et exinanientibus utendum esse, quo signa inflammationis, cordisque et arteriarum incitatarum, quae

vix unquam non angunt, devincamus. Quum vero, nisi ea auxilia febrem in ipsa limine arcent, ista signa in alia penitus contraria desinunt, et vires fractae concitatas citissimo pede excipiunt, oportet medicum summa cura observare, quando haec gravis mutatio incipiat; et imbecillitati jam ineunti idoneis praesidiis occurrere. Hunc in finem, aliquando incitamenta quaesitissima postulantur; qualia Britannis domi febricitantibus nunquam conceduntur. Cerevisia illa Londinensis, quam Anglico sermone "Porter" vocamus, gratissima est aegrotantibus; animos jacentes erigit, gangraenae occurrit, et corpus alit. Vinum meracius non minus proficiet. Alcohol, aliique liquores consimiles, quales "Brandy" et "Rum" appellamus, admodum vitae flammam languentem reficiunt. Ego ipse, anno MDCCCIV, apud Antiguam febre flava aegrotavi; et intra unum diem libram ejus liquoris "Brandy," uti a medico curante certior factus sum, accepi; et tertia quaque hora duas drachmas *aetheris sulphurici*, duabus unciis decocti *cinchonae officinalis* mistas.

Fructus *capsici annui* concretus in ventriculum ingestus, vomitum secundae partis hujus febris proprium consopivisse fertur. Si extrema frigent, acetum eodem fructu imbutum bene iis adhibetur, panno laneo dein involvendis, aquave tepida lavandis; unde vix non calefient, nisi flamma vitae plane sit peritura.

Cinchona officinalis.—Dum ventriculus adhuc irritabilis aut inflammari praestat, e cinchona praeparata nocebunt; hoc enim malum exasperabunt, et porro respuentur. Febre autem inclinata, et in remittentem plane conversa, ni praegravet ventriculum, hoc medicamen dari oportebit, modis solitis praeceptis.

FINIS.